ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Quantam omnibus nobis, ac mihi inprimis, dolorem attulerit morbus, cum quo nuper conflictatus es, verbis haud facile expressero, Virorum nobilissime. Si quid interim vota nostra posse credendum sit, debes profecto illis, ut cum bona venia tua sic loquar, valetudinem meliorem, quam et gratulamur tibi merito, et indies magis magisque cupimus confirmatam. Agit apud nos, studiorum caussa, Franciscus Beldivius, gente Batavus, aetate iuvenis, et ingenio aetatem supergressus. Is in vernacula Poesi, si te et maiorum gentium paucos alios excipias, pene ceteris excellit. Et iam quaedam eius sub prelo sudant, quorum lectione, ubi eam, quae tibi raro, et tamen eruditissima semper, contingunt otia, permiserint, eo quod hic iudicium meum est, delectaberis. Ausus est in illum tantopere exspectatum et in schola, nisi durius valde esse putas, istorum DIEM tuum, ista, quae hic vides, nuper offendere. Is quibus praeter animum nihil omnino cupit spectari. qui quam egregie in summas virtutes tuas affectus est, tam desiderat aliquando ad dexterae tuae contactum admitti. Quod ubi per occasionem licebit, dimittes haud dubie nostrum testem ac patronum illius tuae quam rarae, tam nunquam satis laudatae humanitatis. Lugd. Bat. CIↃIↃCXLI, Martij XVII.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

Marcus Zuerius Boxhornius.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2669

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2669

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2669

Mijn Heer,

d'Heer Constantijn Huygens,
Ridder, Heer tot Zuylichem, Raedt
ende Secretaris van Sijn Hoocheijt

in
's Gravenhage.

Port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2669